

**PHÈDRE, *Fables* : « Le Cerf à la fontaine »**

Ad fontem cervus, cum bibisset, restitit  
et in liquore vidit effigiem suam.

Ibi, dum ramosa mirans laudat cornua  
crurumque nimiam tenuitatem vituperat,  
venantium subito vocibus conterritus  
per campum fugere coepit et cursu levi  
canes elusit. Silva tum excepit ferum.

In qua retentis impeditus cornibus,  
lacerari coepit morsibus saevis canum.

Tum moriens vocem hanc edidisse dicitur :

« O me infelicem ! qui nunc demum intellego  
utilia mihi quam fuerint quae despexeram,  
et quae laudaram, quantum luctus habuerint ! »